

Antea enim ita bene nummatus fuit, ut quidam qui tunc vixit, prodiderit eum qualibet die per decennium centum Marcas expendere potuisse. Sed cum in Germania omnia intestinis bellis flagrarent, in Angliam cito rediit, ubi defunctus, & apud celebre monasterium de *Hales*, quod extruxerat, sepultus, paulo postquam primogenitus filius Henr. è bello sacro redux *Viterbii* in Italia, in æde sacra, dum sacris devotus interesset, à Guidone de *Monteforti* Simonis Comitis Leicestrensis filio, patris ulciscendi causa, nefarie fuit occisus. Successit igitur in Cornuwalliæ Comitatu Edmundus filius secundogenitus, quo sine liberis demortuo, amplissima ejus hæreditas ad Regem Edwardum primum rediit, utique qui *proximus consanguineus* & *hæres* (ut iuridici nostri loquuntur) *inventus*. Cum autem Richardus ille, & filius Edmundus è stirpe regia Angliæ fuerint, & diversis tamen à Regiæ stirpis insignibus, sc. in Clypeo argenteo Leone rubro insurgente & coronato, intra limbum nigrum globulî, sive *Bizantini* bullatum, usi sint, subinde cum aliis sum demiratus. Nec aliam sae rationem afferre possum, nisi quod illi regiam Gallorum familiam in hoc (à Gallis enim hæc insignium ratio ad nos promanavit) sint imitati. Filii enim Regum Galliæ natu minores ad hæc usque tempora, alia quam regia gestarunt insignia, ut in familia Vermandua, Druidensi, Courteneia videre est, atque ut Robertus Dux Burgundiæ, frater Henrici primi Regis Galliarum antiquum Burgundiæ Ducum Scutum assumpfit; ita hic Richardus cum Comitatum Pictonum ab Henrico III, fratre accepisset, Leonem illum rubrum coronatum assumisse, quod priorum erat Pictonum Comitum, ut tradunt scriptores Galli, & limbum illum bullatum ex antiquo Comitum Cornubiæ clypeo addidisse existimare licet. Quamprimum enim

juniiores Regum Franciæ filii Regia insignia cum quibusdam differentiis gestare cœperint, itidem apud nos factum est, & primum ab Edwardi Primi liberis. Sed quo ego mei immemor meo studio delectatus à proposito abripior? Cum in sacrum regni patrimonium recidisset Cornwallia, Edwardus Secundus, qui latifundia hic à patre acceperat, Comitis Cornwalliæ titulum Petro Gavestono Vasconi contulit, qui ejus adolescentiam corruptelarum illecebris irretierat. Cum autem ille ob principem corruptum, & alia scelera capite à proceribus interceptus truncaretur; successit Ioannes de *Etham*, Edwardi II filius natu minor, quo juvēne, & etiam sine sobole mortuo, Edwardus III Cornwalliam in Ducatum erexit, Edwardumque filium suum bellicis laudibus principem cumulatissimum, anno Christi M C C C X X V I, Ducem Cornwalliæ per certum in capite, annulum in dito, & virgam argenteam investivit. Ex quo tempore, ut hoc ex publica fide adnotem, (Iurisperiti autem judicent) filius Regis Angliæ primogenitus, Dux natus Cornwalliæ habetur, & ex speciali Actu superinde promulgato, primo nativitatis sua die majoris & perfectæ presumitur etatis, sic quod liberationem dicti Ducatus eo die petere valeat, ac de jure obtainere debet, ac si xxii annorum etatis plena fuisset. Habetque sua jura Regalia in actionum quibusdam formulis, rebus metallicis, naufragorum bonis, portoriis, &c. variosque ministros ad hæc & hujusmodi assignatos. Sed hæc planius & plenius docuit Richardus Carew de *Ambonie*, non minus generis splendore, quam virtute & doctrina nobilis, qui hujus regionis descriptionem latiore specie, & non ad tenue elimavit, quemque mihi præluisse non possum non agnoscere.

Sunt in hoc Comitatu parochiæ 161.

Arma Co-
mitum
Cornu-
biæ.

* Bande
d'Or & d'
Azur à la
bordeure
de Gueu-
les.
Memoria-
les d' A-
quitain.

Duces
Cornwal-
liæ.

Orig. 35.
H. 6.

